



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **CONSTAT IN URBE** TEMPLUM PAROECIALE SANCTI
IOANNIS, QUOD EXSTAT IN URBE
EPISCOPALI DESMOINENSI, AD BASILICAES MINORIS DIGNITATEM EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. –
Constat in urbe episcopali Desmoinensi novum clarumque exstare paroeciale templum Sancti Ioannis, quod artis
pulchritudine et magnificentia mirum, factum est quoque in praesens laicorum apostolatus, spiritualis vitae operumque
pastoralium et caritatis praestans centrum. Qua re, cum Venerabilis Frater Gulielmus H. Bullock, Antistes Desmoinensis,
litteris die I mensis Martii superiore anno datis, parochi eiusdem sacrae aedis, cleri populique sui nomine petiverit ut idem
templum titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, benevolentiae Nostrum signum dilectis filiis
Desmoinensibus cupientes praebere, illius Pastoris praecibus censemus libentes obsecundare. De sententia igitur
Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica summa Nostra usi
potestate, harum Litterarum sub Piscatoris anulo datarum virtute perpetuumque in modum paroeciale templum, de quo
mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, cum omnibus iuribus et liturgicis concessionibus,
quae ecclesiis hoc nomine insignitis rite competit, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris»
die VI mensis lunii anno MCMLXVIII editum, servanda sunt. Has vero Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse
volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, spud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die X*
mensis Augusti, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo. AUGUSTINUS card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae*
negotiis © Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana
